




1. W  
2. M  
3. M  
4. M  
5. We  
6. We  
7. We  
8. W  
9. M  
10. M  
11. M  
12. M  
13. M  
14. M

- 1 Walther De partu naturali ejusq[ue] vera prura 1748
- 2 Waser Iteratur osium nati 1767.
- 3 Weber De phthisi pulmonali post Hepatitatem exorta 1729
4. Wagbierer Do venae apud infantem portione 1749
- 5 Wegelin De metastasi 1759.
- 6 Wegelin De arrite periculi 1768.
- 7 Weiler Herniae gagna ova rectae ovarum & epiovitis 1768
8. Weiss Do variolis 1744.
9. Weisser De sanguinis in foetu circulo 1754
- 10 Welli De Hernia prurale 1748.
- 11 Wenckes De virgin'e ventriculum per 23 annos perforatum aberto 1735
- 12 Wenckes Virginis per 27 annos ventriculum perforat' relentes hist. 1743.
- 13 Wenckes De idiosynorasi cutis ab ampullaris rrc exerente 1730
14. Weyland Do oxaena maxillari cum globo fistulosa ad angulum oculi internam complicata. 1731



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O IN A<sup>U</sup>G<sup>U</sup>R<sup>A</sup>LIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
RECESSUM OSSIUM NASI  
EXHIBENS <sup>2</sup>  
QUAM  
SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS  
EX DECRETO  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRO LICENTIA  
GRADUM, HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI  
DIE XXVI. MENS. AUG. MDCCCLXVII.

H. L. Q. C.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICET

JOHANNES IACOBUS WASER  
*Helveto-Tigurinus.*

ARGENTORATI

Ex Officina JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

REGESUM OSIRIS  
HIEROGLYPHICIS  
ET HISTORIIS  
EX EGYPTO  
TUR MUSICA DIAVINI HOMINIS  
EX EGYPTO  
CARTOISAE SACRITATIS MEDIO  
PRO LICENTIA  
GRADU ARCHONIS AC TRIBUNIGI DECORONATA  
EX CONSOLIDATA  
EX CAVAS ET TERRARUM MATERIA  
EX CAVAS ET TERRARUM MATERIA

V I R O

PRÆNOBILISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O

J O H A N N I S H E N R I C O F E H R  
MED. ET CHIRURG. DOCTORI PRÆCLARISSIMO  
VENERABILI MEDICORUM PATRIÆ TIGURINÆ SENI  
PATRONO AD CINERES USQUE SINCERE PROSEQUENDO

V I R O

A M P L I S S I M O AT Q U E E X P E R T I S S I M O  
D O M I N O

J O H A N N I S C O N R A D O M E Y E R  
IN SUPREMO REIPUBLICÆ TIGURINÆ SENATU  
DUCENTUMVIRO  
PRIMARIOQUE OPERATORI DEXTERIMO  
AVUNCULO ET PRÆCEPTORI AD URNAS COLENDG

V I R O

P L U R I M U M R E V E R E N D O D O C T I S S I M O Q U E  
D O M I N O

J O H A N N I S J A C O B O W A S S E R  
IN CLASSE ECCLESIASTICA SUPERIORIS  
TURGOVIE CAMERARIO

EGNACENSIMUM PASTORI  
PARENTI OPTIMO

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM  
ÆTERNI GRATISSIMÆ MENTIS  
MONUMENTI LOCO  
SACRAM ESSE VULT

TANTORUM NOMINUM

OBSERVANTISSIMUS

A U C T O R.



## PROOEMIUM.

Postquam per longum temporis spatium  
sub ductu Clariss. Dn. MEYER, Avunculi  
mei maximopere colendi, ac patriæ urbis Chirurgi primarii, Chirurgiæ operam navaveram, perque aliquot  
annos illam inter Helveticas Belgarum copias exer-  
cueram, non solum in alma Argentoratenfium Uni-  
versitate, sed & in aliis in quibus commorari contigit, celeberrimorum Virorum præcepta circa Ar-  
tem, cui me dicaveram hausit; Chirurgiam autem  
tanquam Medicæ doctrinæ partem, a nemine rite  
addisci posse, quin hujus principiis probe imbu-  
tus sit, cum persuassimum mihi fuerit, reliqua-  
rum simul Saluberrimæ Artis partium solidam ut  
acquirerem cognitionem sollicite allaboravi;  
tandem academicæ vitæ finem impositurus  
doctoralia statui subire Examina, cumque Speci-  
men Inaugurale ex Universitatis legibus conscri-

A 3

bere fuerim jussus, id ipsum ex Chirurgiæ doctrina depromere, cujus in me, ob studii confuetudinem, aliqua prædilectio est, constitui. Cum autem ad scribendum animum adverterem, non parum dubius hæsi in feligendo themate, cum ex una parte urgens in patriam reditus temporis ratione habere suaserit, ex altera autem, perfunditorie aliquid conscribere mihi displicerit. Primum quidem statueram de variis Epiphoræ speciebus mea in publicum proferre cogitata; hanc autem tractationem, quod pro dignitate per temporis angustiam perticere eam non liceret, animo perpendens, seponere iterum coactus sum. Tandem, postquam diu fluctuaverat animus, memini me ab Experientissimo Dn. LOBSTEIN, Med. D. ac Theatri anatomici Prodemonstratore celeberrimo, Patrono ac Praeceptore meo summopere colendo, cum Ejus præceptis fruerer, Morbi articulationis fatis singularis historiam accepisse, quem *Officium Nasi Recessum* appellare placuit. Adii Virum Experientissimum, utque casus expositionem mihi concederet, decenter petii; Ille pro humanitate sua insigni petito annuit, sequentemque historiam perpendendam mihi dedit.

## HISTORIA MORBI.

JACOBUS HELCK, Legionis Equitum regio - germanica  
(Royal-Allemand dictæ) Miles, cum forte cum commilitone rixaretur, pugno in faciem adacto, vehementer super

nasi dorsum ab illo percussus est. Statim quidem dolorem satis levem se sensisse, nec ullam sanguinis guttulam e naribus fluxisse, retulit; postero autem die in immensum tumefactum nafum, vicinaque ejus partes cœruleoque fuisse suffusos colore, qualis in leviter vexatis esse solet. Hac cum sine incommodis relicitis rursus disparuerent, nihil præter leve tuberculum in illa parte remansit. Ita per quadriennium nævum tulit, usquedum, cum hic Argentorati versatur legio, ad insignem radix nasi elevata sit molem; tandem exortus est in utroque interno oculorum cantho tumor tactu mollis, fluctuantem intus sistens materiam, ita ut alter alteri facta pressione responderet, ac satis facile per nasi radicem, in oppositum canthum contentus liquor adigeretur. Homo, qui integra ceterum fruebatur valetudine, immannibus, quotiescumque tempestatum variationes minaretur cælum, cruciabatur doloribus, cumque ceterum facie formosus esset, ut molestiis hisce liberaretur, speciemque pristinam recuperaret, statuit malo suo medicinam querere. Adiit itaque dexterimum Dn. SCHÆFFER, legionis primarium Chirurgum, a quo ut opem sibi ferret valdopere petiit. Hic, ut de re sua certior fieret, in consilium duxit Experientissimum Dn. D. LOBSTEIN, quidque de eo casu sentiret, ex eo quasivit. Inspecto manibusque contrectato tumore, satis manifeste ossum nasi extrema in eo loco tactui sese offerebat, quo ista cum frontali committuntur, ita ut facile agnosci potuerit, eorum radices a frontali maxillariibusque ossibus esse remotas, quam tamen rem, si ossum horum commissuras ex Anatome repeteret quis voluerit, fere impossibilem judicabit; suavit itaque Medicus Chirurgo, ut tumorem sinistro in cantho, ubi quippe magis elevabatur, palpebras premebat, lachrymalisque materia per puncta lachrymalia resorptionem impediens, sectione divideret. Itaque præmissis e consuetudine evacuationibus, lanceola per longitudinem apertus est tumor, ex qua incisione, licet ita magna

non fuerit, aquæ luteo colore tinctæ aliquot uncia efflaxerunt; specillo cum exploraretur vulnus, suspicione apparuit veritus, noscere enim ossa vere a vicinis, cum quibus connecti solent, divisa, elevataque reperta sunt. Vulnus ad leges artis injecto linteo carpto, imposito pulvillo, atque Emplastro fusco deligatum est. Peractis his, stupendis capitâ doloribus, febre, siti vexatus est ager, facies in immensum in eo latere, quo facta erat incisio, tumere, & palpebre inflammarunt cœperunt, quibus symptomatibus Venæctiones repetitæ, Emetta, Pulveres temperantes, Cataplasmata emollientia atque anodyna, Injections ex Rad. Peuced. Aristoloch. longæ, levi Hordei decocto, Mellis rosati parum adjecto, parate opponebantur; his remedis ita cessit morbus, ut palpebre generumque tumor tamen hastenus supereffent. Accidit tunc ut vulnus, cum incisio tumoris amplitudini par non fuisset, supercrecente carne pene clauderetur, quod ut ampliaret Chirurgus, iteratam sectionem instituit; & ut apertum illud servaret, Spongiam præparatam isti immisit atque Emplastrum de mucilaginibus superimposuit. Accidit autem, ut cum forte specillo exploraret vulnus, ad digitæ fere longitudinem illud in interiora illaberetur, quo educto, supra dictæ materiæ paulo tamen spissioris magna effluxit copia. Hac rerum facie febre nulla laborabat ager, nisi cum diæta viatio accenderetur; vix autem ferre potuit Spongiam præparatam, ac magnopere querebatur, dolore exciso inde se se affici, quare vulneri immissa fuerunt cannulae plumbeæ, quibus ut in vulnera supercrescens caro exederetur, Alumen iustum supersternebatur, cannula in vulnera Emplastris agglutinativis firmabatur, relicta apertura qua effueret materies, que ab oculo, imposito figurato emplastro avertebatur. Continuata est abbinc ita curatio, ut supradictæ Radices in Vino decoquerentur, vulnerique injiceretur decoctum; quo facto minui istius materia copia, dolores pacari, tumor sedari, inque melius se vertere morbus cœperunt. Indocilis autem

autem ingenii homo, & ad diæta observantiam ægre persuadendus in causa fuit, ut aliquoties novis supervenientibus inflammationibus impediretur morbi cura, ac denuo materia sanguinosa fluxus excitaretur, quæ tamen symptomata iisdem remediis iterum cobibuit Chirurgus. Tandem autem nova affulxit spes, fore ut debellaretur tandem pertinax malum, quare canicularum magnitudo indies aliquantulum minuebat, ne ab intus claudendum vulnus a sanatione impeditetur, quod quoque sedato materia fluxu ad cicatricem perductum est, quæ ut reliquam cutem aquaret, ab excrecente carne Lapi de infernali liberabatur; tumor remittere se cœpit, atque difformitatem suam latet evanescere vidit miles. Cum autem non ita facile elevata nasi radix in pristinum rediret locum, gradatis ista impositis splenis, injetaque fascia circulari paulatim durante hac curandi methodo, ita ad pristinam redigebatur molem, ut ossa iterum in sedem suam reposita fuerint, atque difflato penitus tumore, non nisi cicatrix præteriti morbi vestigium supereisset.

---

## S. I.

**M**orborum genus, quo ossa distincta quidem, sed inter se adaptata ligamentisque juncta, a se invicem receidunt, ita ut aliqua lœdatur functio, generali *juxtapositionis* nomine comprehendenterunt medicarum rerum Scriptores. Ponit illa affectio vim, illa, qua ossa inter se colligent maiorem, qua ex naturali sua sede in alienam trudantur, ligamentis quæ nunquam non ossium inter se connexiones comitantur, plane infirmatis, quo vel ossium ipsorum, vel vicinarum partium, vel utrorumque naturalis functio non potest non tolli aut alterari.

B

## §. II.

Multas illud mali genus admittere species satis quisque perspiciet, si varios ossium positus figurarique, varias ossium commissuras, quas Anatomici in diversa genera dixerunt, inque his ligamenta, cartilaginea, aliaque huc pertinentia momenta considerare velit. Superfedeo quidem his recensendis commissurarum divisionibus, quas accuratissime jam tradiderunt Illustris WINSLOVIUS a) atque Cel. PLATNERUS b); sed luxationum potius rimari differentias ad scopum meum proprius pertinere duco. Varia autem luxata recipiunt discrimina; ac primo quidem non omnibus æque late extenditur istius vocabuli vis, ut a quibusdam pro omnibus qualiumcunque commissurarum recessibus sumatur, inter quos ex veteribus CELSUS c), ex recentioribus autem Cel. PLATNERUS d) atque Ill. GAUBIUS e), Cel. HEISTERUS f) cum pluribus aliis numerandi sunt; proprio tamen ac recepto loquendi modo, dislocationes articulorum mobilium tantum comprehendat, quo sensu P. AEGINETA g), BOERHAVIUS h), Ill. VAN SWieten i), plurimique recentiorum illed acce-

a) *Exp. Anat.* Tom. I. §. 118-159. *de Synarthroſi in ſpec.* §. 140-145.

b) *Inſtitut. Chirurg.* §. 1092, 1093. & 1094.

c) *de Re Medica* Lib. VIII. C. XI. bifariam distinguit luxationem, nam "modo, inquit, qua juncta sunt inter se dehiscunt . . . . modo articuli suis fedibus excidunt."

d) *Inſtitut. Chirurg.* §. 1090. dicit: "articuli, si fedibus suis excidunt, & offa, que naturaliter juncta sunt, si inter se dehiscunt, luxata vocantur."

e) *Inſtitut. Pathol.* §. 226. eandem fere, licet mutatis verbis, tradit definitionem. Ill. quoque VAN SWieten, quem tamen in sequentium refero numerum, luxationem ita definivit.

f) *Inſtitut. Chir.* P. I. L. III. C. III. ossium nasi recessum nominatim proprio capite pertractat.

g) Lib. VI. C. III.

h) *Appor.* §. 358.

i) ad l. e.

perunt. Differunt autem quoque ratione facilitatis, quia articulus præ altero citius e cavitate sua egreditur, facilis enim in pueris ac adolescentibus, quam in robustioribus articuli excidunt; facilis quoque qui Arthrodes, quam qui Ginglymo cohærent. Quandoque etiam penitus ex sua sede prorumpunt, tumque *perfectam luxationem*, ἐξάρθρια constitutere dicuntur; quandoque non prorsus recentantur, sed aliqua parte subsistunt, adeoque *imperfectam luxationem* sive *subluxationem*, παράρθρια efficiunt, quamvis & hujus ultimi vocabuli significatum ad immobilium ossium recessus referant illorum nonnulli, qui cum recentioribus luxationem in articulis mobilibus tantum assumunt k). Modo in luxatione articuli sola consistit malum, nec alias in sui confortium trahit partes, quam luxationis speciem *simplicem* appellant, modo ossa cum vulnera, contusis etiam vexatisque carnis loco moventur, quod periculosisimum genus inflammationis, gangrænae, mortisque quoque metum incutere solet, complicatam appellant luxationem. Veteras quoque luxationum discriminem inter eas efficit, ut felicius currentur *recentes*, ægerrime, vel plane non *inveteratae*. Pessimi tandem ingenii luxationes in juniorum ossibus evenire solent, quando eorum epiphyses secedunt, medium inter fracturas atque luxationes genus constituentes.

### §. III.

Ad Synarthrosin referunt Anatomici articulationis speciem, qua natus cum frontali osse committitur, in qua luxationem vel plane non, vel rarissime fieri unanimi ore affirmant Authores. "Offa Synarthrosi juncta luxationi non sunt obnoxia, sed si secedunt, fractura a se invicem separantur," secundum Cl. KNOLL l). Cel. HEISTER de

B 2

k) HEISTER L. c. L. I. C. I. §. 3.

l) *Diss. de Extrem. super. lux.* Arg. 1738. §. IX. pag. 15.

narium ossibus in specie affirmat, "ea ita firmiter cum frontis atque aliis ossibus cohærere, ut frangi citius quam distrahi a se invicem queant." m) Elucefecit ex his oppido rarum insolitumque esse casum, quem de milite nostro recensui, neque in multorum, præter Cel. HEISTERUM n), Cl. LUTHER o) ac Cl. LE CLERC p) scriptis ejus occurrere mentionem puto; huc enim pertinere casum, quem SCULPTETUS q) recentet, non exitimo. Quamvis autem possibilem esse horum ossium secessum historia nostra evincat, an tamen inter luxationes pertineat, nondum confecta est quæstio; etenim licet casus sit luxationibus analogus, ac juxta strictam vocabuli etymologiam ad illas omnino referri possit, sunt tamen graves, quæ nos induxerunt rationes, ut eum ab illis distingueremus; sunt enim in nostro casu multa a reliquis ossium dislocationum symptomatibus ita distincta, ut morbum hunc articulationis plane singularem illa denominatione appellari non posse facile elucefcat. Illud præcipue in nostro casu a vulgaribus luxationibus quam maxime alienum existimo, quod, cum non facile in tota reliqua ossium compage aliud hujus Synarthroeos exemplum repereris, quod commissuræ latitudine, dentium quæ incisionibus respondent fortitudine, ac consequenter futuræ firmitate huic par est, non potuerint ex ista evelli narium ossa, quin dentium complures vi percutiente effracti causam expellentem, quasi adjuverint ac permiserint, ut eo facilius ossa elevarentur. Cum itaque casus noster recepto inter recentiores loquendi usu ad luxationes proprie dictas referri non possit,

m) I. c. n) I. c.

o) *Dissert. de Luxat.* Erford. 1745. §. 15. pag. 19 dicit: "nasi ossa suo exire posse loco," experimenta tamen nulla afferit.

p) *Chir. compl. Sect. de Luxat.* C. I. Liege 1697.

q) *Armament. Chir.* Obf. XXII. de ossibus nasi fractis ac depresso loquitur; ita ut fragmenta in carnes intrusa fuisse videantur.

*officium nasi recessum* potius eum appellari posse visum est, cui tamen ita cum luxationibus aliqua analogia intercedebat, ut causas efficientes & signorum quædam, cum istis communia, prognosin autem accuratiorem ab iis diversam sibi peculiarem habuerit.

## §. IV.

Causas luxationum in vi cohærentiam articulorum exsuperante quærendam esse §. I. monui, quarum duplex dari genus, *externarum* nempe ac *internarum*, hasque sœpe simul conspirare, vix attinet, ut dicam; ad externas referuntur *ictus*, *casus*, *luctationes*, *saltus*, *torturæ* aliaeque his similia, quibus, si violentiora fuerint, membra facile expelli posse quotidie tristis evincit experientia. Sed magna quoque internarum causarum caterva articulos ex sedibus suis extrudere solet, quas graphicè describunt BOERHAVIUS atque ILL. VAN SWIETEN<sup>r</sup>), quarumque exempla satis magno numero collegerunt Observatores. Ab incunabulis, uti aliorum morborum, sic quoque hujus per sœpe nutriri fomitem mortales, quando cum male conformatis articulis, ligamentis laxis, labe aliqua hereditaria rhachitica<sup>s</sup>) sive venerea nascuntur. Quandoque a fortiori contractione muscularorum fieri optime monent, ILL. GAUBIUS<sup>t</sup>), PLATNERUS<sup>u</sup>) atque CL. HIERONYMIX<sup>x</sup>), “aliquando enim publico feso exposuerunt spectaculo histriones, qui omnes fere articulos corporis, sola muscularum vi luxare, atque iterum reponere noverant, & cereum quasi corpus in quasvis fere figuræ flectere;” y)

B 3

<sup>r</sup>) *I. c.* §. 362.<sup>s</sup>) vid. PLATNER §. 1104. atque CL. OOSTERDYK SCHACHT *Instit. med. pract.* L. II. C. VI. §. 7. & 8.<sup>t</sup>) *Instit. patholog.* §. 227. <sup>u</sup>) *I. c.*<sup>x</sup>) *Diss. de Luxat. & jubilux.* Jenæ 1746. §. 7. pag. 5.<sup>y</sup>) VAN SWIETEN *I. c.*

nec mirum, cum femoris fractura a sola validiore musculorum contractione facta legatur <sup>g)</sup>; ligamenta quoque si viribus ex quacunque causa destituantur, vel rumpantur, luxationes levissima ex causa fieri observarunt Chirurgi, facile quidem reponendas, sed facile iterum elapsuras, qualium exempla HEISTERUS <sup>a)</sup>, SALZMANNUS <sup>b)</sup> atque CL. KNOLL <sup>c)</sup> congeserunt. Sunt præterea, quæ ab intus articulos ex cavis suis mole sua exsuperante extrudunt, ita ut vel reponi nequidem amplius queant, quales sunt materiæ tophaceaæ in articulis ad insignem sëpe molem excrescentes, exostoses, hisque similia. Interdum in articulos, “præcipue in profundiores, vel etiam quandoque in exiguo sint, quibus ossa contra sita excipiuntur, humor confluit, quo indies augescente, os pedentim e se de sua promovet,” uti eleganter dicit PLATNERUS <sup>d)</sup>, isque vel ex morbosa sanguinis massa proficiscens, cum scilicet humores viscidiores, crassiores, tenaciores, in istas cavitates deponuntur, aut febrilis seu variolacea materies in articulos inclinatur, aut si ex suppuratione puris in articulo accumulatio fiat, ex qua causa sæpius luxationes factas, se suis erroribus didicisse fatetur Cel. PETIT <sup>e)</sup>; vel sani ibidem confluent humores, quorum scaturigines pro varia articulorum structura variæ esse solent, nam si lubricum illud linimentum <sup>f)</sup>, quod articulorum cavitates irrigare solet, ea quantitate non resorbetur, qua ab arteriis affunditur, accumulabitur illud, ligamentum distendet ac debilitabit, unde facilis ossis ex articulo suo delapsus; quam luxationis causam ipse Medi-

<sup>g)</sup> Journal de Med. Tom. XI. mens. Octobr.

<sup>a)</sup> I. c. P. I. L. III. C. I. §. 14.

<sup>b)</sup> Diff. de Luxat. Fem. rar Arg. 1743.

<sup>c)</sup> Diff. cit. §. 12. not. r. <sup>d)</sup> I. c.

<sup>e)</sup> Mem. de l' Acad. Roy. des Sc. A. 1722. pag. 117.

<sup>f)</sup> Triplicem in articulos concurrens humorum docet Physiologia; nempe universale perspirans, oleofum, medullosum ac mucilaginem a glandulis secretam. vid. Cel. PLATNER I. c. §. 109.

cinæ Parens HIPPOCRATES jam pulchre describit <sup>g)</sup>, sive quod evenire quoque crebrius solet, extrinsecus ita lœdatur articulus, ut vel inter ipsa conjuncta ossa, vel in articuli cavo, colligatur materia heterogenea, quæ infirmando ligamenta & mole sua pedetentim aucta tandem os ex sede sua expellat, quod nostro in casu accidisse videntur: quomodo autem id factum sit inquirere postulat materiae ratio; equidem ita illud contigisse existimo.

## §. V.

Adactus in faciem pugnus in tota ad radicem nasi sitarum partium compage vehementem concussionem excitavit, cuius tamen omnis vis in commissuram ossium nasalium cum losse frontali integumentaque ipsa tegentia impensa est. Strictior earum partium structura fecit, ut nulla va-  
forum ruptio contigerit, dolorque modicus lœsioni supervenerit; tumor quem postridie supervenisse monuimus, cutis inter dura corpora, vim nempe externam atque ossa, collisæ symptoma sine dubio fuit, quod facile tulit ruddoris temperamenti homo. Commissura interim ossium, effractis ejus infimis dentibus, e sede sua mota erat, sed inde non potuerunt non functiones vicinarum partium lœdi, & dislocata ossa necessario membranæ pituitariæ, quæ totam narum cavitatem investit, hincque ossibus subjacent, injurias inferre debuerunt. Narum autem omnis cavitas perpetuo perspirabili materia, quæ sensilissimos nudosque membranæ nervos ab externi aëris injuria defendat, madet, ex numerosissimis arteriis, quas Natura huic membranæ superficavit, ita ut injecta tota pulcherrimo coccineo colore ludat, scaturiens; nec minore copia reventes venæ hic locorum adlunt, quæ fluidissimam ejus materiae partem perpetuo ex arteriis sudantem perpetuo

<sup>g)</sup> de locis in homine C. III. T. VII. p. 361. edit. CHARTER.

refugunt, sanguinisque circulo iterum tradunt, ob fabricæ teneritatem vel levissimis injuriis obnoxiae; quid itaque mirum, illas potissimum a dislocatis ossibus elitas, atque ad illam quam naturaliter exercent functionem inhabiles redditas, lympham a fortioris structuræ arteriis continuo emissam, in superiori membranæ parte reliquise, quæ sensim sensimque aucta ex una parte membranam ipsam paullum ab ossibus dimovit, eam ita pressit, sensibilemque effecit, ut vel aëris quoque variationibus affecta fuerit, ex altera autem parte nasi ossa sustulit, vincula commissuræ debilitavit, in sinus frontales sibi viam paravit, tumoremque illum duplicum qui ab utroque latere sibi respondebat, atque lacrymalem saccum comprimebat, effecit.

## §. VI.

Suspiciones quasdam, cur recessus ossium nasalium, qui tamen majorem vim quam eorum fractura requirere videtur, potius hic contigerit, atque locum, quo hæserit materies illa citrina accuratius rimari operæ pretium esse videtur. Novimus autem ex mechanicis legibus, vim percutientem pro resistentiæ, quæ ipsi opponitur magnitudine, fortius vel debilius agere, ita ut minori resistentiæ parcet, in majorem autem eo magis sœviat; cum itaque vis in nasum impingens, prouti §. præced. monui, præfertim in nasi radicem egerit, minor ab ipsis ossibus facta est resistentia, major autem a futura, quæ cum frontalí committitur; inde factum est, ut cum resistentiæ tamen prævaleret vis percutiens, futura illa a se invicem divulsa, dentiumque qua illa firmatur plures effracli sint, quo facto narium ossa ab effuso super membranam humore pedentem aucto elevata ac penitus a vicinis separata fuerint. Ut autem, quem occupaverit materia collecta locum plenius perspiciamus, nasi superioris structuram repetere

repetere necesse est. Narium ossa, interna sua parte, ossis Ethmoidei mediæ laminæ incumbere, & ex hujus utraque parte innumeræ ejus ossis cellulas narium cavitatem augere, notum est; sed in istas cellulas exonerant se sinus frontales majore vel minore, pro varia sua magnitudine, apertura, inter muscularorum trochleatorum annulos b), ita ut remotis nasi ossibus istæ aperturæ fere illico apparet; has omnes & singulas caveas investit membrana pituitaria non eadem ubique crassitie gaudens, ad nasi præcipue radicem haud ita compacta. Effuso itaque inter nasi ossa atque membranam Schneiderianam, qua laminam descendenter ethmoidei ossis investit, humore, eundem pedentem mole auctum inter duplicum Membranæ laminam ibi, ubi ad reliquas caveas investiendas sese adaptat, hæfisse, ibique ob membranæ integratatem in nares penetrare non potuisse, & in ratione qua mole crescebat, ossa nasi elevasse, satis quisque videt; quo magis autem elevabantur ossa, eo liberior fuit humoris effusio aditus in sinus frontales, quos in nostro subiecto satis amplos fuisse indicabat capitis quadratura, demonstrabatque styli immisi profunda demersio; collectus hic liquor non solum membranam indies fortius premebat, resorptionique fluidi oberat, sed & pondere suo ac copia quaquaversum urgens ossium a vicinis promovebat remotionem; ita ut nullum superstit dubium, sinus frontales ab ista aqua repletos, & hunc humorum membranæ adversæ parti, ubi ejus duæ laminæ sibi occurrunt, incubuisse, ita, ut ex una parte narium cavitas minuta, ex altera nasi ossa in tumorem elevata sint, qui vicinis quoque partibus molestiam intulit, ac proruperint tumores ex lateralibus fecerunt.

C

b) WINSLOW *Expos. Anat.* T. IV. Tr. de la tête n. 321. pag. 295.  
Amstel. 1752.

ibus, quos Offa nasi cum maxillaribus faciebant, qui se-  
se digitis tangendos obtulerunt. Potest itaque Casus noster  
Recessus ossium nasi, cum tumore, cysticis simile serum  
alente, complicati nomine indicari.

## S. VII.

Nec minoris momenti est inquirere, quomodo per  
tantum temporis spatium, quo aqua hæcce sensim sen-  
sime sese collegit, se incorruptam potuerit servare,  
cum vel vulgo notum sit, omnes nostros humores, sive  
justo celerius moti fuerint, sive extra circulum aliquandiu  
quieverint, alcalinam induere naturam, atque pessima  
quæque mala producere, quorum tristia exempla apud  
Auctores prostant *i).* Sed ne in putredinem abierit in no-  
stro tumore liquor, multas concurrisse causas existimo.  
Etenim primo non ita videtur ille quievisse, quin aliqua  
saltem ejus pars perpetuo a paucis illæsis reforbentibus  
vasis ad sanguinis circulum redux facta fuerit, quæ qui-  
dem quantitas illi, quæ per arterias advehetur, par-  
esse non potuit, sed motum tamen aliquem in isto liquo-  
re conservavit; quod collectionis diurnitas satis innuere  
videtur: præterea fluidissima illa sanguinis pars, quam  
lympham vocamus, quæque materiae in membrana pitui-  
taria secretae maximam partem efficit, magis ad elementa-  
rem naturam accedere, atque corruptioni non ita obno-  
xia esse videtur; quamvis enim hydropica materia ad il-  
lud genus quoque referri debeat, quæ tamen alcalinam  
jam acrimoniam prodere incipit, satis cuique constat,  
sanguinis principia in isto affectu non rite inter se invicem

*i) Hist. de l' Acad. Roy. des Sc. A. 1727. p. 17. atque Mem. de  
l' Acad. de Chirurg. T. I. p. 90.*

mixta esse, ita ut ad alcalescentiam proniora sint; in nostro autem ægroto nonnisi optimæ notæ humores elaborabantur, qui ad affusam partem delati sanissimam lympham ad collectionem ejus humoris subministraverunt; ita Hydatide, testiculo per satis longum tempus appenso, cum ferro separata fuerit, nonnisi limpidissima lympha effusa est *i*\*); plurimos quoque seruos frigidosque humores, fatuam, si secentur, emittere lympham observavit Cl. RISLER *k*). Potissimum autem consideranda hic est aëris externi in fermentatione putredinosa vis, sine quo, quamvis plane non fieri posse istam afferere nolim, imperfecta tamen ac non valde sensibilis oriri potest *l*), cum aëris in humoribus nostris inclusi ea sit indoles, ut elatere careat, quem nonnisi accedente externo recuperare potest, nec per se fermentationem excitare. Cum itaque in nostro tumore humor alias ad putredinem non pronus, non plane quiescens, in loco ab aëre undique tuto hæserit, facile concipi posse existimo, innocentem fatuumque per plures annos mansisse, cum vel aptiores ad putrescendum partes, placenta nimirum atque foetus nonnisi imperfectam induisse corruptelam atque illibato utero satis diu gestatas fuisse legamus *m*).

### §. VIII.

Signa ex quibus luxationem factam esse cognoscimus, in duo genera distribuunt Auctores, quorum unum *com-*

*C 2*

*i*\* *Journ. de Med.*, T. XI, mens. Nov.

*k*) *Diff. de Tumor. syst. ser.* 1766. §. X. p. 28.

*l*) v. III. SPIELMANNI, Praeceptoris aeternum venerandi, *Institut. Chem.*, §. XCIV. p. 326. sq.

*m*) QUESNAY *Oeconom. anim.* T. II. p. 121. Parif. 1747.

*munium*, alterum *propriorum* nomine insignitur, utrumque significationem satis indicat denominatio; communia nempe nullas non comitantur luxationes, propria autem singulis tantum competit, ac ex cuiusque membra structura & usu aptissime defundi possunt. Aliquando satis facilem esse luxationis diagnosis, aliquando etiam difficiliorē n), utque probe distinguitur, non solum præsentia signa, sed & quæ prædecesserunt sedulo inquirienda esse, inter artis peritissimos constat, quod in nostro præcipue casu erat attendendum; ad quem signorum luxationis communium paucissima quadrabant, propria autem ob recessus causam earumque partium structuram singularia prorsus esse debebant, quorum ob casus raritatem ullam apud Auctores mentionem occurrere dubito. Quando quidem omnia, quæ eum comitata sunt symptomata attento animo rimator, ossium recessum effectum potius morbi, quam ipsum morbum, appellari posse video; ita ut hic in aquæ collectione ponendus, indeque reliqua quæ se se sitibant symptomata deducenda esse videantur. Humorem autem hic confluxisse satis demonstrabat tumoris fluctuatio, in quo non pus, sed frigidam quandam materiem inclusam esse diurnitas mali, cæterorumque suppurationis signorum absenta manifeste innuere videbantur. Originem ejus effusionis conjecturari licebat ex acceptæ injurie historia, quam cum earum partium tenera structura ita comparabat Vir Experientissimus, ut facile conculserit, illatam membranæ pituitaria vim, impeditamque materiæ, quæ in ea fecernitur, resorptionem, primam fuisse mali causam. Nasi ossa ita ex futura sua erant avulsa, ut sub cute fluctuarent, eorumque superior pars, qua cum frontali committuntur, digitis quam facillime contrectari potuerit: his extra dubium positis, re-

n) VAN SWIETEN Comment. in Bærbav. ad Aph. §. 369.

liquā casum concomitantia symptomata facile explicari posse, nemo est, qui non videat. A tumore enim, qui totam nasi radicem ab uno ad alterum usque oculi canthum occupabat, ita premebantur facci lacrymalis apertræ, quas Puncta lacrymalia vocant Anatomici, ut, quam naturaliter recipiunt lacrymarum materiem motu palpebrarum ad ipsa depulsam <sup>o)</sup>, super oculum reliquerint turpi spectaculo ab inferiori palpebra defluentem. Dolores, quos ægroto afferebant futuræ coeli variationes, non poterant non aëris modo gravioris modo levioris, adeoque membranam nervorum pressione ac distensione sensillissimam factam magis vel minus sufficientis esse effectus; cutim denique diurna extensione elateris suo parte esse privatam, fatis probabiliter colligi poterat. Ita comparatis, quæ præcesserant, cum præsentibus signis, diagnosis morbi justa atque probabilis, quam eventus certissimum esse probavit, superstructa est, ex qua facilior morbi prognosis atque expedita curæ ratio tanquam axioma sequebantur.

### §. IX.

Prognosi potissimum morbum nostrum a reliquis Iunctionibus differre, supra monui <sup>p).</sup> Sic enī stantibus rebus, quid timendum, quid sperandum fuerit ægroto nostro ex iis, quæ præcedente §. tradidi, prono fluere alveo satis perspicitur. Malum hucusque leve, symptomatisbus haud ita gravibus stipatum, ac, licet satis vetustum, facile tamen adhibita, efficaciori Chirurgia sanan-

C 3

<sup>o)</sup> III. DE HALLER Pr. Lin. Phys. §. D.

<sup>p)</sup> §. III. p. 15.

dum, si ulterius sprevisset dolorum patiens miles in summa affectarum eisque vicinarum partium teneritate, maxinorum vixque sanandorum post se traxisset malorum catervam. Etenim ipsam collectam materiem si confidere, quamvis eam validis hucusque auxiliis Natura a putredine defenderit, quid suspicari impedit, eam diuturniore mora omnium animalium partium, quas vita destituit, legem fecuturam, inque sui confortium quas attingeret partes, tracturam fuisse. Cerebrum in tanta harum partium vicinia constitutum, vasculisque per laminam multiformis ossis cribrosam descendantibus cum ipsis communicationem alens *q*), quam primum haec ab alluente aeris materia erosa fuissent, derivato sanguine inflammationi, ejusque pedissequis malis obnoxium fuisset, quae hominem inevitabili morte abripuerent; nec minus in reliquias, acrimonia ita laeviisset partes, namque Membranæ pituitariae erosio, materiae e naribus fluxus, ejusdem in narium reliquias cavitates derivatio, harum excoriatio, ex membranæ autem irritationibus dolores stupendi, spasmi, convulsiones, siue tandem ossibus labem suam communicaasset materia, eorum caries in tam spongiosis ossibus cito crescens ac ægre vel plane non sanabilis, omnium denique internarum ac vicinarum partium inflammatio, gangrena, sphacelus, atque infecta mox eodem vitio sanguinis tota massa mors inevitabili Naturæ lege subfecuta fuissent. Ita quidem materiae probabilem supponunt corruptionem, sed antequam ad hanc periculi magnitudinem perventum fuisset, innocentem suam indolem adhuc conservans materia sola longiore in his partibus mora, tristes sati tragœdias ludere valebat. Ossa nasi loco suo mota, cum succo quo ali consueverant privata fuisse nemo non videat, nullum superest dubium, quin alimenti defectu emortua, carie quam sicciam vocant Chirurgi correpta.

*q) III. DE HALLER prim. Lin. Phys. §. CCCCLVIII.*

labe sua tandem ipsam materiem infectura, reliquaque ex hoc oriunda mala productura fuissent r); hæc sunt præcipua quæ materies effusa ipsis, quibus includebatur partibus, minabatur mala, sed nec vicinæ a periculis erant immunes: etenim, cum tumore nasi radice protuberans materia lacrymalis resorptionem impediret, fatusque ipse ita comprimeretur, ut per palpebram inferiorem deflueret lacryma, metusque esset, ne iste in totum elideretur, quid ex Naturæ legibus certius, quam quod ejus cavitatis concretio mox secutura, atque rebelle illud malum oriturum erat, quod Fistulam lacrymalem vocant Chirurgi? Sed & visionis tenerrimum instrumentum sua passuum erat mala: namque lacrymalis materia promissima est ad acrimoniam indoles, ita ut genis, si quando in tristi affectu per illas defluat, istam dotem satis manifesto demonstret, quin & eas excoriassæ legatur s); nota autem est quoque sensilissima oculi natura, ut vel levissimo immisso acri doleat, inflammerit, ac nisi promptissimo adhibito auxilio in suppurationem abeat; inde concludere licet, istam materiem in immensum auctam, diutius super oculum, sinistrum præcipue, in cuius cantho magis eminebat tumor, relicta, pessimæ notæ, ac nisi difflato tumore discutiendam Epiphoram, dubio procul excitare debuisse; omnem istam malorum copiam prudenti dissektione cavit Chirurgus, quam prospere cessuram, per

r) Cum nullum dubium superfit, quin dentes, quos supra diximus, effractos fuisse, in incisionibus sibi respondentibus remanerint, videri quidem posset, idem illis infinitile periculum; sed si minimas quis arteriarum ramifications inter duo articulata ossa nunquam non excurrentes perpendere velit, facile, ab isto metu liberos fuisse, videbit.

s) HALLER *El. Phys.* Tom. V. Libr. XVI. Sect. I. §. XV. & *pr. Lin. Physiol.* §. D.

integrati cæterum hominis valetudinem ac vulneris faciem curationem confidenter sperare licebat.

## §. X.

Os dislocatum in suam sedem reducere generalis est omnium luxationum indicatio, quæ in nostro quoque casu omnino locum habebat; ut autem reponi potuerint nasi ossa, primaria hic oriebatur indicatio, a materiae heterogeneæ necessaria remotione repetenda; his itaque duobus absolvvi debebat morbi nostri cura. Siquidem recenti statim malo medelam afferre licuisse, discutientibus valenter remedii materiae collectio, tumorisque elevatio fatis probabiliter fuissent cohibitæ t). Inveterato autem per quadriennii spatium malo, ut aperiretur tumor, atque evoca-

- t) Hanc curandi methodum, ubi ob percussum femur, sanguinem qui intus dolorem metus est, ne a confluente intus humore os prolabatur, prudenter proponit Cel. PLATNER. *Instit. Chir.* §. 1201, not. \* 25 \*\*.  
 "Veteres autem" inquit, "prout ex HIPPOCRATE atque AEGI-  
 ,NETA discimus, in his caibis, ferrum candens imprimere, ma-  
 ,gnamque suppurationem concitare soliti fuerunt." Haec crudeliores  
 curandi methodi raro hodie apud nos in usum veniunt, eis-  
 que scindens scalpellum substituere malum, cuius in confluence  
 intra articulum humore diutius morante, auxilium me quidem  
 judice, reliquis preferendum est. Rejicit quidem illam  
 Cel. Vir, amicunque, qui ea usus est, probare non videtur, ri-  
 giditatem articuli a ligamentorum incisiōne timens. Sed insignis  
 in arte Vir nimis timidus hac in causa fuisse videtur. Namque  
 ex una parte articuli rigiditas malis ab humore in articulo colle-  
 eto oriundis preferenda videtur, cum non alio nisi scalpelli auxi-  
 lio evocari iste potest; ex altera parte experimentis hodie constat,  
 ligamenta sine periculo posse incidi, ubi necessitas urget,  
 Sæpius le articulorum ligamenta prospero cum successu incidisset,  
 pus eliceret, testatur dext. RAVATON in *Traité des Playes d'Ar-  
 mes à feu* passim.

evocaretur materies ista prima mali causa, expeditior nulla via quam ferrum, ac optimo quidem jure vifum est; quamvis autem & hodie sint, qui sectiones, ubicunque etiam instituenda sint, reformidant, ac propter secandi imperitiam aut præconceptam opinionem Emplastris fidem suam addixerunt, illud tamen apud maximos quoque artis magistros in confessu est, sectionem omnium fere frigidorum tumorum optimam quin solam esse medelam. Attamen, cum locus, quo in casu nostro instituta est sectio, periculi ad incidendum sit plenus, ac circumspetam quam maxime requirat manum, quæri posset, annon per nares instituta desideratum quoque eventum cum minori periculo habere potuerit? Sed ut taceam, prudentis esse Chirurgi, eas ad incidendum, quantum fieri potest, feligere plagas, in quibus manum suam operantem oculis comitari possit, cum nunquam non eo fauatores eventus fortiantur sectionum curæ, quo facilius quid fecet, oculis usurpare potest Operator, idque in natalium cavearum obscuritate fieri nequaquam potuisse; illud maxime ab hac curandi methodo absterrere debuit, quod ita evocata materia in narium reliquas cavitates, fauces atque asperam arteriam inclinari, nausea, tussis excitari, & hinc majora illis, quæ vitare voluissimus incommoda, ex ista operatione non potuissent non nasci. Elucescit exinde, commodam atque expeditissimam in morbi nostri cura selectam esse methodum, qua cum integumentis, cauta sectione, membrana pituitaria, in cuius adversa parte humorem hæsisse, supra monui *n*), divisa, materiæque exitus datus est. Symptomata hanc sectionem sequuta reliquam curationem concomitata, opera prestitum est, ut ordine rimemur. Nervosissimas vasculisque plena esse, quæ hic incisæ sunt partes, cutem nempe mem-

D


n) §. VI. p. 17.

branamque pituitariam, hancque cum externo perioste<sup>o</sup>  
super totam continuari faciem docet Anatome, sensibilis-  
simam autem harum partium esse naturam, ita ut ab ac-  
cepta injuria longe lateque doleant, inflammantur, par-  
tesque vicinas sympathice afficiant, ex Chirurgiæ principiis  
constat; hinc immanis illa Cephalalgia, Febris ejusque  
fida comes sitis, faciei intumescentia, palpebrarum in-  
flammatio, quæ sectionem excipiebant; hæc tamen ter-  
ribilia symptomata, aptis remediis, fugata fuerunt. Ei-  
dem hujus membranæ sensibilitati ex parte adscribendam  
esse duco, intolerabilem illam molestiam, quam ægro im-  
missa vulneri spongia præparata excitabat, eam autem ex  
parte quoque materiæ in vulnere post sectionem col-  
lectæ, retentioni tribuendam esse arbitror; quare ne  
materiæ necessario continuum effluxum laxior vulnusque  
claudens cutis vel Spongia præparata impedirent, aptius  
non potuit adhiberi auxilium, quam ex tenuissima Plum-  
bi lamella conflatæ cannulæ, per quas inferiori vulneris  
parti immislas continuo exiret liquor; cuius cum immi-  
nueretur copia, ne illæ a sanatione vulnus impedirent,  
indies minores immisit Chirurgus. Nec illud mirandum,  
quod tantam, post sectionem, fuderit vulnus humoris  
copiam; per quadriennii enim, quo tumorem istum gessit  
miles noster, spatiū, ita debilitatæ sunt venæ resor-  
bentes venæ, ut restituta licet libertate, reddita tamen  
nondum fuerit functiones suas obeundi facultas, usque  
dum sedulo adhibitis roborantibus ac detergentibus, quæ  
hic convenientissima erant remediis, sedatus ille fluxus,  
roboratæque debilitatæ partes fuerint, quo facto consoli-  
dare vulnus per senioris Chirurgiæ regulas licuit. Inte-  
gra alias hominis valetudo ac rudijs temperamentum a  
febre istum interim servavit liberum, ut tamen ab ista  
poena vitiorum in diætæ commissorum subinde quoque

lueret. Dissipato tandem ipso malo reliquum erat ossa in situ suo firmare, eorum vinculis, atque integumentis diutiori extensiōni elatere privatis, pristinum iterum robur conciliare, quod optime fecit Chirurgus, dum secundum Cel. HEISTERI praeceptum <sup>x)</sup> "nulla alia cura, tione quam quæ comprimendo ac diligando fit" usus est. Ita medentium communi officio cito nempe tuto ac jucunde, quantum fieri potest, curandi, hoc in casu, ex asse satisfecit Chirurgus.

<sup>x)</sup> Inst. Chir. P. I. L. III. C. III. §. 1.





1018

ULB Halle  
007 469 934


3





# Farbkarte #13

B.I.G.



DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICO - CHIRURGICA  
**CESSUM OSSIUM NASI**  
EXHIBENS  
QUAM  
*SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS*  
EX DECRETO  
TIOSEÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**R O L I C E N T I A**  
M, HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI  
DIE XXVI. MENS. AUG. MDCCCLXVII.  
H. L. Q. C.  
LENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICET  
*ANNES JACOBVS WÄSER*  
*Helveto - Tigurinus.*

ARGENTORATI  
Officina JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.